Cracov. Studior. Univ. Jag.

Promotiones Ord. Philos.

1635. 3.

Seraphinowicz Joan. Ἐνεικεφορεα syncharmatum.

ΕΠΙΚΡΟΤΥΜΑ

SYNCHARMATICVM:

Ingenuis Adolescentibus

Primam in Artibus Liberalib. & Philosoph.

LAVREAM

In Celeberrimo D. JAGELLONIS Lycæo

Publicè

CAPESSENTIBVS.

A

IOANNE SERAPHINOWICZ, Almæ Acad: Cracouien. Stud. eiusdem primæ LAVREÆ Candidato

CONCINNATVM.

CRACOVIÆ,

In Officina Typ. Matthiæ Andreouiensis,

Anno Domini 1635.

IN STEMMA
Almæ Academiæ Cracouien.



Nil trepides fraudes, hostesque domiq; forisque,
Lechia, præsidium quo tuearis habes.
Ecce præit binis fulgens Academia Sceptris,
Hinc ornare togâ te potis inde sago.

EPIKROTYMA SYNCHARMATICVM.

ABsiste vulgus, nil humili iuuat
Cantare versu, nil tenui fide
Neruoq; tentandum recurrit,
Quod grauiore caret cothurno.
Et mens furorem Pegaseum furit
Perculsa blande pectus & entheat
Phœbus Paniphæi Tonantis
Progenies, Heliconis amne.
Non qui renidens Attalicâ penu
Indoctus acrem pauperiem pati
Ardet locupletes aceruos
Murice bistoniâ superbus
Quamuis medetur Pannonicis iugis
Musto reperto Chrysea pocula
Rumpens, laboratum saporem
Malobathro madidus capillos.

Pallebat ingenti Pelopis Parens,
Auro, retorſit ſed fragilis vices
Fortuna, merſit deſperatis
Eutropij miſerum periĉlis.
Non qui ſecures præficit otio,
Nec qui tumentes ſumere competít
Faſces, minax dextrâ rigenti:
Nec Tyrius trabeâ eſt beatus.
Nec qni cruentus puluere Martio
Accurrit hoſti, laudis adoreas,
Captare doctus, perfidumq;
Fata nouit ſuperare belli.
Hic eſt beatus: qui premitur ſacrâ
Inſigne lauro tempora, nectare
Docto ſepultus, proſperante
Caſtalidum celebri cothurno.
Quicquid remotum lumine pectoris
Fas & rotundum diſcere ſydera,
Quis vel gubernator fatigat
Empyreos ſuperûm Penates.
Illi, latentis fas erit intima
Spectare naturæ penetralia:
Et quos

Et quos recursus flexa summi
Stella tenet vagabunda cæli.
Qua surgit alto Titan ab æquore
Et qua cubilis conditur alueo.
Et scit coactis vnde plenum
Cornibus alta ferit Dianna.
Quo rauca vento fracta tonitrua,
Nubes quis astris imbriferas trahat,
Et flabra muncto quæ sinistra
Excutiant rabidum Cometen.
Rimatur vndas Carpatij maris,
Et monstra noscit Pontica, tempora
Cernit Promethei, Deiq;
Sæcula falcigeri recenset.
Hac arte fretus diuitis ingenij
Cælo refertus fruge; THOMAS fore
Diuus sat excultæ Magister
Alligerum meruit Phalangis.
Hac te sacratæ Diue Academiæ
Virtus merentem vexit in æthera
CANTII vetustæ iure Regum
Archetipon soboli relictus.

 Testis

Teſtis celebri quisquis Atheneo
Donatus hauſtis continuis rude,
Sudoribus, famæ perennis
Inſolitos referet tryumphos.
Nec vos qui in almo cuncta laboribus
Craci Lycæo, culmen olympicum
Virtutis optantes, anheli
Præripitis; ſitibunda fallet
Spes, ecce thyrſo tempora Cynthius
Preſsus, reuincit primitus auſpici
Veſtrâ benigno fronte fato
Laurigeros vtinam decores.
Tranſit ſupinâ nullus inertia
Lentus ſuaues nec ſpoliat fauos
Si delicatâ fronte durum
Impatiens timeat laborem
Sed qui laborum magnanimus tricas
Faſtidiòſas impiger explicat
Fructus beato ſuauiores
Nectare & Ambroſiâ libabit.
Eia celebres luridam inertiam
Pellatis obſecro Iuuenum chori

Vltra Gelones atq; Parthos
Et ſtudium tribuatis altum.
Maiora longé præmia vos manent
Inſigniores laudis adoreas
Eſtis recepturi labores
Fronte modo tolerate læti.
Dotes Sophorum Cecropias opes,
Condatis imo mentis in abdito,
Hæc ſunt volutis Hermo aceruis
Barbaricis, precioſiores.
Quas non potens eſt innumerabilis
Proſternere annorum ſeries: neq;
Vulcanus attentat nociuis
Igniuomus temerare flammis.
Quodſi ſodales tanta ſit artium.
Laus orbe toto Palladis enitens
Vt ſolus exiſtat beatus
Theſpiacis ſociatus aris.
Quis inuidendis æui opibus magis
Mores ſequatur, prauaq; tempora?
Vitâ quis immutet beatâ
Diuitias operoſiores?

IOANNI

IOANNI FRANCISCO WOLSKI PROTO-notario Apostolico.

Enitet alma dies & luce sacratior illa,
Ennius Aonio qua amne rigatus erat.
Fausta precor solitoque veni splendentior astro,
Et iuueni vultu, vel meliore nite,
Non hæc Victori Tibi, *cinget baltea Martis,*
Virtutique dabit, stemmata longa Tuæ.
Gloria mortalis citius delabitur Euris,
Ingenio contra stat sine morte decus.
Dum Tibi *lauricomam præcingit fronte coronam;*
Promptam virtuti sternit Apollo viam.
Diuitias Cræsi, atq; Midæ plebs poscat aceruos
Externis virtus incomitata bonis.

NICOLAO SLOWIKOWSKI.

Armenium vulgó cunctis prefertur amomū:
Optima Persarum lilia Susa fouet:
Munera Campani desudat bacca Venafri
Fertilius: candens India mittit ebur.
Ditior arbustis palmarum fertur Idume
Omnibus, & Lauris solus Olympus ouat.

Ingeni-

Ingenium mentes Actæas anteit omnes,
Vrbe satum, cultum sic Helicone Craci.
Et merito Iuuenis, dexter Tibi fulget Apollo,
Ornat Te & Suadæ dotibus, & Sophiæ.
Fortè Tuam multi cupient effingere sortem,
Sed Te qui possit vincere rarus erit.

IOANNI NOSOWSKI.

Nunc hilares siquando iuuit, nunc ludite Musæ:
Rusiadum resonet pectine pulsa chelis:
Pandite lætitiæ portas cantusque ciete:
Mota sono vestrum & porta Leonis, ouet.
Phæbi namq; recens aris sociatur alumnus,
Præsentes sacris vos, decet esse suis.
At Tu NOSOWSKI, *tanto dignatus honore,*
Cum propius valeas, accelerato gradum.
Quãdo iterum Iuuenem præcinges Phæbe coronâ;
Lætitiæ fiet tam bona causa tuæ.

IOANNI GRABOWSKI.

SEdibus excelso propriis in monte locatis,
Difficiles aditus cur posuêre Deæ?
Scilicet vt quæuis fieri sudore docerent:
Nam quid idem pulchrum, fit simul & facilè?

Nullus, honorato vinctam stephanomate frontem
Gestiet, impatiens; si trepidabit onus.
Quam statuit Phœbus Iuuenis Tibi fronte coronã,
Composuit Virtus, texuit atq; Labor:
Plaude, hæc maiores stimulabit Te ire per artes,
At menti poterit crede præire labor.

IOANNI WOLFOWICZ.

Perge bonis auibus, studiis effingere lauros
Affinum Iuuenis: quos imiteris habes.
Perge laboratas animosus prendere Thyrsos,
Spe fructus, veneunt cuncta labore Dijs.
Grandia ferre licet cogitur, Permesidos vmbrâ
Qui prensat patulus, membra locare sua.
Tædia sed prosunt olim superata laborum.
Et quod grande pati est, id meminisse iuuat.
Fortunæ Tibi sunt sollertia donaq; mentis:
Amplius an dubitas? perge bonis auibus.

ADAMIANO NIEWIESKI.

FAtidico Daphnis Phœbo sacrata, repellit
Corpore, Lernæâ, toxica mista lue.
Scipio præ manibus fuit olim, laureus illi:
Qui vicit solus, mille pericla necis.

O vti-

O vtinam Laurus nobis ſuſcepta, veternum
Ægris pectoribus ſegne fugare queat!
O vtinam vincat diſcrimina mille, laborum:
Tum meritó noſtrum, Lauriger omnis erit!
Vt poſsit Iuuenis Tibi condere pharmaca Laurus:
Obſerua propriam nocte dieq́; Ducem.

BARTHOLOMÆO GEBICKI.

Pegaſeas nemo meruit decerpere Lauros:
Cûi non Caſtalidum pocla miniſtrat aqua.
Miſcet enim fortuna vices, & gloria ſummum
Ambit, nec facili ſtat potiunda iugo.
Ingenioſe Tuis GEBICKI *arridet Apollo*
Lauris, verborum ſiue lepore mauis;
Seu Sophiæ nodos malueris ſoluere, tantum
Naturæ, poſthac, excole dona, potes
Sydere Craciadum Pallas Tibi fulget amico:
Omnia cum poſsis diſcere, velle Tibi eſt.

GREGORIO SCZECINSKI.

OPtátam toties complexus, ſume coronam:
Qnam Iuuenis Pallas texuit alma Tibi.
Nemo laboratas meruit comprêndere thyrſos
Otia qui duxit deſidioſa, ſequi.

Hæc Iuuenes Tyrſus, ſeiungit ab agmine vulgi;
Aſſertos grauibus cenſet & eſſe Viris.
Felix ſorte Tua es, ſacrum cuî ſumere ſertum
Fas eſt, & Sophiæ limen adire Deæ.
Perge corona comes lauroſq; merere futuros:
SCZECINSKIq; Sophum ſed cito redde togæ.

ALBERTO MROCZKOWSKI.

Tartareos fuſcâ pingentes æthera nube,
Tollere conſueuit laurus aduſta Nothos.
Styx licèt inficiat rabidâ contagine, mentes:
Miſceat & Ditis dira venena lacu.
Protinus amplexas Lauros exerce labore,
Cocyti votis, grata trophæa feres,
Quos etenim ſentit grandi indulgere labori
Laurus, eis tantum percupit eße comes.
Eſte procul ſegnes, molles procul Endimiones.
Laurigerum Caput hos ſuſtinuiße nequit.

LAVRENTIO WALOWSKI.

SI quis erit natura Parens cuî pectoris imo,
Vbere defixit ſplendida dona ſinu.
Si quis & Aoniæ, expertus Tulliiq; Mineruæ
Artes, & verâ ſimplicitate bonus.

Si quis

Si quis erit cuî nexa comas concordia lauros
Est cordi: si quis pacis amicus erit:
Si quis erit teneros rubicundus murice vultus;
Ingenui signum fronte pudoris habens.
Si quis erit grauium quondam spes magna Parentũ:
Dispeream si non VALOVIVS mihi erit.

NICOLAO WASNIEWICZ.

Aonius Iuuenem Lauro conuincit Apollo,
Sis præsto sacris, casta Minerua tuis.
Iam bene rara sua nectuntur lilia serto,
Quam decorat Iuuenis Laurus amica Caput.
Nec melius pingunt duplicata rosaria Pæstum,
Nonq; magis verno tempore Flora nitet.
Parrasio certè lux hæc sculpenda lapillo:
Quâ Iuuenis visit Bellerophontis aquas.
Pulcher Apollo Tui studio correptus alumni,
Hos illi iubeas, sæpe redire dies.

STANISLAO ROSTKOWSKI.

IN tenebris veluti fuscum defixa metalla
Seruant, impolitum nec radiare potest.
Aurum, priuatis studijs exercita Virtus
Sit tantum, proprio sole micare nequit.

 Non

Non etenim poterit Virtus caruiſſe labore,
Immo, nec hac potis eſt, ipſe carere labor.
Cùm Iuuenis celebri redimitum tempora thyrſo
Te, vocat in campum docta Minerua ſuum.
Perge alacer ſummi conſcende theatra laboris:
Sudorum intrepidus namq; onus eſt, is honos.

IACOBO LANG.

Felix cui licuit Iuuenum ſignare coronæ
Finem, qui bellè ſæpè coronat opus.
Felix qui diſcet ſudorum prendere metam:
Solus enim rerum Terminus acta probat.
Sed Tua corda precor non ſors oblata fatiget:
Poſtremo ſimilis, primus honore locus.
Namq; Helicone Deæ, iuſtus ſeruetur vt ordo:
Non quæuis primum, quærit habere locum.
Ordine conuerſo numeres à fine, videbis
Imus erit primus, primus at imus erit.

ODE.

O D E.

Excellentiſſimo Domino.

M. STANISLAO IVRKOWSKI
Colleg. Min. Philoſophicæ Facultatis
DECANO.

O Fæcunda Sophis lux Academia!
O & Theſpiacum, magna Parens virum!
Quam nec Tyndarides, ſydereâ, præit,
Mater fronte ſuperbiens.
Nec fæcunda Deorum Berecynthia,
Felici magis eſt fertilis vbere,
Te nec Threiciæ præpete virgines
Famâ vincere geſtiunt.
Vnum Te memorem riſit amabili
Cûi, vultu Clarius, matris ab vbere, &
Aſcræis viridis fontibus, ingenij
Reſtrinxit teneram ſitim,
IVRKOWSKI: taciti tempora ſæculi
Nec Patris timeas loripedis minas,
Nec nomen tenebræ conſopient Tuum:
Vllas nec ſubibis vices.

Quam

Quam promptum altitonans fulminis alitem,
Expertus famulum, cui face mutuâ
Coniunxit Paphium pectus amoribus,
In flauo Paridâ sato.
Sceptri Lechiadum lux Academia,
Spectauit Sophiæ munia Præsidem
Certo IVRKOVIVM tempore persequi
Doctis sæpe frequentibus.
Obiecti fuerint difficiles licet
Nodi, Gordiacâ compliciti manu:
Non molli ingenio Sicelidum choris
Soluit cuncta fauentibus.
Implexum Physeos dogmata ventilat,
Salsis Cecropij Nicomacho Sophi
Dictis, progeniti, late id Athenei
Clari, pulpita personant.
Tantum Lechiadum sub penetralibus,
Enutrita valet mens, Academicis:
Fæcundæ Genitricis, fore debuit
Tantæ filius indolis.

Excel-

PRÆCEPTORI
Ac
Mæcenati fauentiſsimo,
M. ADAMO DRASKI, REGIO
& Ordinario Græcæ Linguæ
PROFESSORI.

QVæ cura mordax, quis Iuuenum labor,
Plenis honorum muneribus ſagax
Præceptor, immenſos labores
Per titulos memoreſq; faſtos
Æternet? ô qua ſol habitabiles
Illuſtrat oras, optime DRASCII
Laudum celebrandis trophæis
Conſpicuus, niteas in æuum.
Poſtquam es relatus ſub penetralia,
Docti Mineruæ Craciadum Chori,
Penu recluſo proſperante
Aonidum memori phalange;
Pericle dignis chryſea vocibus
Cum verba, mauis Cecropijs modis

C Non

Non tardus inuitâ Minerua
Fundere; dexter adest Apollo.
Te nullus vnquam turgida inertiâ
Victum notauit, continuo mage
Sudore gaudens, in Lycæo
Spartaceos imitatus ausus
Craci: mereris Tu Stephanomata
Mansura seris nota nepotibus,
Nomenq; præclarum & trophæa,
Marmoreis decoranda signis.
Virtus, laboris quæ comes anxij,
Te crede posthac laude scientiæ
Cælestis, extollet Patrumq;
Fatidicæ referet coronæ.
Sic Hercules proles Iouis inclita,
Primo relictis mille laboribus,
Stratisq; Victor mille monstris,
Sydereos tetigit Penates.
Virtus, repulsæ nescia languidæ,
Te intaminatis cinget honoribus:
Excelsi & inuictum laboris,
Æthereas referet sub arces.

Et quis-

Et quiſquis ambit Te auſpice percitus
Oeſtro Corymbos laurigero, caput
Claro in Lycæo non relinquet
Sæpe Tuum celebrare nomen.
Te quêis regendæ diuite Regulam
Penu, Iuuentæ promis, & imbuis
Lymphis Caballinis Tyrones:
Vnanimi venerantur ore.

Excellentiſsimo Domino,

M. IOANNI CYNERSKI RACHTAMOVIO,

Ordinario Eloquent: Profeſſ: Promotori I. CLASS.

DOnarem pateras Attalicum genus,
Imo corde Tibi, dona ſodalium:
Donarem Tyrioq;,
Texto condita vellera.
Promotor, neq; Tu talia munerum
Expoſcis, vacuus corda libidine

Nummum, protulit aut quas
Lydis percupidis opes.
Hermus gemmifero littore nobilis;
Et quas ceruleis Indus aquis legit,
Aut Pactolus arenis,
Voluit flumine prospero.
Sed non hæc mihi vis: non tibi talium,
CYNERSKI est animus, diuitiarum egens,
Auri temnis aceruos,
Contentus modico degens.
Contemptæ Dominus splendidior rei:
Felix castra petens nil cupientium,
Correptus famæ sacrâ,
Est auri inter opes inops.
Sed quæ contulerit Sicelidum cohors
CYNERSKI memori carmina, nablio,
Pigra hæc flumina solùm
Ingratæ effugient Stygis.
Longo Pyramides depereunt situ:
Languet mole suâ Memphiticus labor:
Messalæ caprificus,
Audax marmora, conficit.

Atnec

At, nec furta nocent, sæclaq; nesciunt
Chartis perniciem condere, solaq;
Musarum monumenta,
Æternum nequeunt mori.
Quare parua TVIS accipe pignora
Quamuis non ea sint, æqua laboribus,
Quæ donare Minerua
Præsumpsit, tenui fide.

Excellentißimo Domino,

M. DANIELI OTRĘBVSZ
Colleg: Minor: Promotori optimo.

SÆpius nostris precibus vocata,
Siue frondosis benedocta lucis
Detinet sacro te, Helicone Clio
Turba Sororum.
Lenta, seu molli recipis quiete,
Fontis Ascræi placidos susurros:
Huc ades, mecum & fidibus canoris
Incipe grates.
Pangimus clarum Sophiæ Magistrum,

Quem virum ſparſit celebrem per ora,
Lechico priſcæ pietatis Orbe
Alma Genitrix.
Abditas rerum penetrare vires,
Scire naturæ varioſq; mores,
Cæteros inter, potis eſt, nec vnquam
Cedere doctus.
Improbi, celſos ſeries laboris
Contulit Lauros SIBI iuſſit atq;
Arduos Cyrrhâ, facilem Penates
Scandere Phæbi.
Nos velut lectum veneramur vno
Ore, Te Myſten Clarij Dynaſtæ,
Noſtra dum vincis nouiter virenti
Tempora, Lauro.
Et quibus grates numeris canemus?
O ſpei magnæ ſoboles Parentis.
OTREBVSZ, doctè Tibi, laureiq;
Auctor honoris.
Vile promotor, licèt illa ſupplex
Offer_at munus Tibi, ne recuſa

Quæ

Quæ poteſt recti ſtudioſa reddit,
Vota Iuuentus.
Vt diu felix vigeas & almæ
Gratus exiſtas gremio Parentis:
Menteq́; & lætos referente cantus
Voce precamur.

